

ANTONII FABRI
IC. SEBVSIANI, SERENISS.

SABAVDIÆ DVCIS CONSILIARI
SENATORIS SABAVDIENSIS,
& in Gebennensis Ducatus audi-
torio Præfidis.

DE ERRORIBVS
PRAGMATICORVM ET
INTERPRETVM IVRIS.

CHILIADIS PARS TERTIA.

IN DECADES XXV. VT PRIORES SINGVLAE,
sed breuioribus capitibus distincta.

Opus varium, nec illis tantum qui in foro, sed iis etiam qui in Scholis
versantur longè vtilissimum, ad vera rectaque iuris principia
capessenda quorum ignoracione Pragmatici vul-
garisque Interpretes passim
cæcutiunt.

*Don Pedro Joseph Antolencz
B. C. P. 1731*



*Esala Libreria
al Negio al. M.
Oubeto =*

Sumptibus Iacobi Crispini.

M. DCXXXI.



CAROLO EMANVELI
SERENISSIMO ET
INVICTISSIMO SABAVDIÆ
Duci, SubAlpinorum
Principi,

ANTONIUS FABER F. P. P.



ON me puderet, Princeps Serenissime, iam-
pridem Celsitudini tuæ datam velut ex rece-
pto fidem implere tardiùs, si hoc ipsum quod
nunc præsto & exhibeo posset sufficere, vt
iam saltem viderer impleuisse. Nam præter-
quàm quòd facerem imprudētissimè, si tuam
expertus toties in eodem genere culpæ facilitatem, & indul-
gentiam, locum diffidentiae aliquem posthac relictum vel-
lem: Habeo sanè tam multas cessationis meæ, si cui fortè lon-
gior videbitur, excusationes, (dicerem tam præclaras si non le-
uior apud me negligentiae quàm superbiae nota videretur) vt
mihî parum verendum sit, ne iustus quisquis erit ille, nec inui-
dus laborum meorum æstimator, toto illo intermedio tem-
pore quo cessasse credimur, diem vel vnum in otio transegisse,
se, aut ipsum etiam si quod fuit ocium aliter quàm in exre-
diendis Iurisprudentiae negotiis consumpsisse suspicetur. Te-
stis est non ille solùm Codex meus, quem Augustissimo Nomi-
ni tuo feliciter inscriptum, dicatùmque miro ferè omnium
applausu, in doctissimi cuiusque manibus & oculis nunc ver-
sari audio, gaude óque: Sed ipsa etiam tacente me Iurispru-
dentia, quæ sub Papinianæ nomine superiori anno edita, siue



ANTONII FABRI

I. C. SEBVSIANI, SENATORIS
SABAVDIENSIS ET IN GEBEN-
NENSIS DVCATVS AVDITORIO
PRÆSIDIS.

CHILIA DIS

DE ERROR. PRAGMAT. ET INTERPR. IUR.

PARS TERTIA.

DECAS LI.

ERROR. PRIMVS.

*De actione quam vocant ex remedio l. diffamari 5. C. de
ingen. manum.*

V frequentissima in foro, ita Pragmaticis omnibus etiã imperitoribus notissima est actio, quam non tamen Pragmaticorum, sed interpretum error inuexit, Ex remedio, vt vocant, *Legis Diffamari*, quæ est *l. 5. C. de ingen. manum*. Aduersus eos demum comparata, qui alium quouis modo infamant, siue ciuilitè, iactando se aliquam habere actionem, vel de statu vel de bonis, vel personalem, vel hypothecariam, siue criminaliter minitendo accusationem, in qua tamen instituenda cunctentur. Sic enim Accursius ad *d. l. diffamari*, vbi etiam Bald. *et in l. vnic. C. vt nem. inut. ager. vel accus. cogat.* Bart. *ad l. Titia. D. de accusat.* & alij passim quos refert & sequitur Boer. *quæst. 255. num. 7. et seqq.* Ac quamquam non est qui neget huic actionis generi repugnare iuris rationem, quæ non patitur vt quis inuitus agere vel accusare cogatur, *d. l. vnic. et l. vlt. C. de usur. pupill. l. creditor. 20. C. de pignor.* facit tamen ea ratio vt actionem hanc mirabilem esse fateantur, potius quàm vt velint admittere nullam esse. Non solum quia opinionem hanc ex aliquot iuris nostri locis probari crederunt, sed etiam quod videatur hæc actio magnæ esse utilitatis ad lites plerasque finiendas prius etiam, quàm fuerint institutæ. Huius enim effectus ille est, vt iactatori agere nolenti non tantum iactandã